



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

172. An Mappæ, seu Tobaleæ sint benedicendæ? Et de earum numero etiam egitur? Et an in necessitate possit Sacerdos vti linteis prophanis, eaque postea reddere Donimo ad pristinum vsum prophanum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

pro parte quest. 3. dub. 4. concl. 20. Nugnus in 3. part. tom. 1. q. 83. art. 3. concl. 3. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 82. sect. 3. §. 2. cum Nauar. in Manual. cap. 25. n. 84. qui asserit, contrariam opinionem non esse tutam, atque idem in Missali Romano inuenitur benedictio cinguli, ac benedictio pro aliis sacerdotibus indumentis, quam vniuersalis Ecclesie consuevit obseruare. Et quod dicitur de aliis indumentis, dicendum etiam videtur de cingulo, est enim eadem ratio.

2. Sed contraria sententia probabilis etiam apparet, idem Sacerdos, qui sine necessitate celebraret cum cingulo non benedicto, peccaret tantum venialiter, vel cum eo, & toto fracto, & abrupto, & hoc ratio ne paruitatis materiae. Ita docuit Henriquez lib. 9. de Missa, cap. 29. n. 5. in gloss. lit. A. & B. Paludanus in 4. dist. 13. q. 2. art. 5. Richard. ibid. q. 4. art. 3. Sotus ibid. dist. 13. q. 2. & doctissimus Syluester ver. Missa, n. 2. Sa ver. Missa, n. 10. & Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 23. num. 13. est enim, vt diximus, materia leuis, & indumentum minus in se considerabile, quam quodecumque aliud; imò indumentum non est, sed indumentorum ligatura.

3. Ad argumentum verò de benedictione posita in Pontificali, respondeo, quod ibi reperitur etiam benedictiones pro Missalibus, & pro libris Ecclesiasticis, & tamen non est peccatum lethale, celebrare sine Missali benedicto.

4. Nota tamen quod celebrare cum cingulo non benedicto, ex causa iusta, non erit neque peccatum veniale, iusta verò causa erit necessitas audiendi, vel celebrandi Missam ex praecepto alicuius festiuitatis feruor magnae deuotionis, necessitas superandi tentationes aliquas, etsi Sacerdotes pauperes habeant stipem pro celebrando sacro.

RESOL. CLXXI.

An in praecepto celebrandi cum vestibus sacris detur paruitas materiae? Ex p. 5. tr. 5. Ref. 62.

§. 1. Negatiue respondet Filliucius tom. 1. tract. 5. cap. 5. n. 149. vbi sic ait: Quæro an liceat in aliquo casu sacrificare sine vestibus? Respondeo, & dico primò sine omnibus in nullo casu licet, etiam ob periculum mortis, si saltem adiungatur contemptus fidei, esset enim magna irreuerentia, & scandalum in necessitate sine vna, vel altera, præsertim ex minoribus, vt stola, vel cingulo, non esset mortale. Dico secundò ex materiae leuitate vix potest excusari à mortali, quia quælibet earum vestium est sufficiens ad peccatum mortale, si voluntariè omittatur. Ita Filliucius. Sed ego probabiliter puto ratione paruitatis materiae non peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem cum cingulo benedicto, vel aliquo alio vice cinguli fungente. Vide Doctores penes me ipsum in 2. part. tr. 14. ref. 68. & hanc sententiam me citato probabiliter putar nouissimè Franciscus de Nigro in addit. ad Ruiz p. 1. pref. 4. num. 42. q. 28.

RESOL. CLXXII.

An Mappa, seu Tobalee sint benedicenda? Et de earum numero etiam agitur. Et an in necessitate possit Sacerdos vti lineis prophanis, eaque postea reddere domino ad pristinum usum profanum applicanda. Et an in casu necessitatis possit tantum vna Mappa præter Corporale in Sacrificio Missæ adhiberi. Et an extra casum necessitatis sit peccatum mortale Tom. II.

celebrare cum vna tantum Mappa, & Corporali? Et difficultas est in supradictis casibus gradus necessitatis assignare: sed pro praxi in textu huius Resolutionis aliqui gradus assignantur.

Et tandem docetur Regulas Missalis esse præceptiuas, quæ tangunt aliquam legem Canonice in corpore iuris contentam, vt de seruando ieiunio, de Ara consecrata, &c. eas verò Rubricas dicit directiuas, quæ nec in toto iure Canonico continentur, nec in Rubricis ponuntur cum verbis imperantibus præceptum, qualia sunt, mandamus, præcipimus, & similia. Ex p. 10. tr. 11. & Misc. 1. Ref. 5.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Amicus in cursu Theol. tom. 7. disp. 33. sect. 2. n. 362. vbi sic ait: Requiritur subius corporale ad minimum duæ pallæ lineæ, vel vna duplicata, tametsi decentius est, vt sint tres, vt Missalis Rubrica præscribit, quarum saltem vna debet totam superiorem Altaris superficiem tegere. Hæ pallæ non necessariò debent esse benedictæ: quin addunt Syluester ver. benedictio, q. 5. & Emanuel Sa ver. Missa, n. 7. in necessitate posse sacerdotem vti lineis prophanis, eaque postea reddere domino ad pristinum usum profanum applicanda. Quod fieri non potest, si sint benedictæ. Ita ille, cui adde Lessium in 3. p. q. 83. art. 2. n. 87. Fagundez præcept. 1. lib. 3. cap. 22. n. 16. Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 81. sect. 6. Reginaldum tom. 2. lib. 29. cap. 9. sect. 7. n. 194. Perficium de officio Sacerdot. lib. 5. c. 8. dub. 8. n. 64. Zanardum in direct. Theol. part. 1. de Sacram. Eucharist. c. 14. Petrum Fuliensem in idea Theol. Sacram. c. 26. ref. 2. Ludouicum à S. Iuan in sum. de Eucharist. q. 11. art. 13. dub. 1. concl. 3. Moure in Medulla casuistica, p. 3. c. 5. §. 1. n. 9. Ledesnam in sum. tom. 1. c. 20. de Euchar. concl. 6. Filliucium tom. 1. tr. 5. c. 4. n. 129. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 8. diff. 26. n. 1. Bonacinam tom. 1. disp. 4. q. 2. punct. 9. n. 34. Trullench de Sacram. lib. 3. cap. 8. dub. 16. n. 8. Bassæum in Florib. Theol. mor. verb. Missa, n. 4. Layman lib. 5. tr. 5. cap. 6. art. 11. in fine. Adamum Tannerum tom. 4. disp. 5. q. 10. dub. 3. n. 48. Vviggers in 3. p. q. 83. dub. 15. n. 74. Vasquez in 3. p. tom. 3. disp. 23. cap. 3. n. 23. Caltrum Paluum tom. 4. tract. 22. punct. 6. n. 1. Azorium tom. 1. lib. 10. c. 38. q. 8. in fin. & alios.

2. Sed his non obstantibus affirmatiuam sententiam alij tenent, nempe Mappas Altaris debere esse benedictas: & ita docent Gauantus in Rubrica Missalis part. 1. tit. 20. littera S. Cardinalis Lugo de Sacrament. Eucharist. disp. 20. sect. 4. num. 76. Leandrus de Sacrament. tom. 2. tract. 8. disp. 7. quest. 11. Caspensis in cursu Theol. tom. 2. tract. 23. cap. 3. sect. 4. n. 78. quibus adde sapientissimum Patrem Ioannem Dicastrillum de Sacrament. tom. 1. tr. 5. disp. 4. dub. 9. n. 54. qui acriter hanc sententiam sustinet, & obseruat plures DD. pro negatiua sententia adductos scripsisse ante Missalis reformationem Clementis VIII. & alios, qui post ipsos scripserunt minus caute loquutos fuisse: Quod aperte probatur: nam in dicto Missali, §. 20. de præparatione Altaris, sic habetur: Hoc Altare operiatur tribus Mappis, seu Tobaleis mundis ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis; superiori saltem oblonga, quæ vsque ad tertiam pertingat, duabus aliis breuioribus, aut vna duplicata. Sic ibi. Et rursus in cap. 10. de defectibus in celebratione Missæ occurrentibus, paribus verbis ponitur defectus, si vestes sacerdotales, & Mappæ non sint benedictæ: ergo sicut necessariò, vt docet Marchinus de sacram. Ordin. tract. 3. p. 3. cap. 14. n. 1. & alij communiter, vestes sacerdotales sunt benedicendæ: ita & Mappæ Altaris. Vnde propria benedictio earum apponitur in fine Missalis.

5. Sed aliquis posset ad supradictas Rubricas respondere; & ad primam desumptam ex §. 20. dicendum videtur esse tantum directivam; & non præceptivam; & ideo Doctores adductos ubi supra pro negativa sententia loquutos fuisse quoad necessitatem: Doctores vero pro affirmativa sententia loquutos fuisse quoad congruitatem. Ita Tamburinus *Opusc. de Sacrif. Missæ, lib. 1. cap. 5. §. 2. n. 2.* ubi asserit, quod non habemus in dictis Rubricis Missalis, unde cum tanto rigore eiusmodi benedictio mapparum exigatur. Et me citato, docet Gasfia in *Summa Theol. mor. tract. 3. difficult. 8. dub. 3. punct. 1. n. 11.* [Que la regla del Missal en vna cosa, que no es de sustancia del sacrificio, sino tambien para mayor ornato, y reuerencia, no se ha de creer que oblique con tanto rigor.] Ad aliam verò auctoritatem Rubricæ, ex *cap. 10. de Defectibus, &c.* dicendum videtur, quod licet iisdem verbis Rubrica loquatur de benedictione vestium Sacerdotalium, ac de benedictione mapparum; non sequitur quod ex ipsis oriatur eadem obligatio: nam benedictio vestium Sacerdotalium est de necessitate, benedictio verò mapparum ex decencia. Itaque regula Missalis de benedictione vestium, est præceptiva; de benedictione verò mapparum, est directiva. Quod probatur ex doctrina Marchini de *Sacram. Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 6. n. 3.* & aliorum asserentium, illas regulas Missalis esse præceptivas quæ tangunt aliquam legem Canonicam in corpore iuris contentam, vt de seruando ieiunio, integrando Sacrificio, de Ara consecrata, de loco celebrandi non prohibito, de præmittenda Confessione post lethale, de benedictione vestimentorum, & eiusmodi; quorum singula in corpore iuris sunt expressa. Eas verò Rubricas dici directiuas, quæ nec in toto iure Canonico continentur, nec in Rubricis ponuntur cum verbis importantibus præceptum; qualia sunt, *mandamus, præcipimus, & similia.* Cum itaque benedictio vestium Sacerdotalium contineatur in iure Canonico, vt notat Marchinus *ubi supra*, non autem mapparum; sequitur regulam Missalis de illa loquentem esse præceptivam: regulam autem de benedictione mapparum; quia in iure non inuenitur, neque in Missali ponitur sub verbis importantibus præceptum, vt patet legentibus, directiuam tantum esse dicendam videtur. Ergo, &c.

Sed sufficiat mihi in gratiam Lectorum superius dicta excogitasse; nam cum dubium sit arduum, & pugnantibus inter se inueniantur Doctorum sententia; Ego finalem Resolutionem huius Quæstionis Sacre Rituum Congregationi remitto.

4. De numero autem Mapparum, non est minor controversia inter Theologos: nam Vasquez *tom. 3. disput. 23. cap. 3. num. 21.* Suarez *tom. 3. disp. 82. sect. 6.* Fagundez *Præcept. 1. lib. 3. cap. 22. num. 10.* Reginaldus *tom. 2. lib. 29. cap. 9. num. 194.* Henriquez *lib. 9. cap. 28. num. 3.* Toletus *lib. 2. cap. 12. n. 6.* Amicus, Emanuel Sa, *ubi supra*, cum aliis docent, sufficere ad ornatum Altaris duas tantum mappas. Sed hæc opinio non videtur admittenda, & plures ex citatis Auctoribus scripserunt ante Reformationem Missalis Clementis VIII. in quo vt visum est, supra, statuitur Altare esse ornandum tribus mappis, vna oblonga, quæ vsque ad terram pertingat, duabus aliis breuioribus, vel vna duplicata. Et ita tenet post dictum Missale Auerfa de *Euchar. quæst. 11. sect. 13.* Leandrus de *Sacram. tom. 2. tract. 8. disput. 7. q. 10.* Cardin. Lugo de *Euchar. disp. 20. sect. 4. num. 96.* Hortadus de *Sacrif. Missæ, disp. 4. difficult. 9.* Perlicus de *Officio Sacerdot. lib. 1. cap. 4. dub. 8. num. 59.* Gauantus in *Rubr. Missalis, part. 1. tit. 20.* & alij. Quod etiam colligitur ex *cap. Si per negligentiam, de Consecr. dist. 2.* ubi requiruntur trina lineæ, præter Corporale. Nisi tamen aliquis

dicat eum Amicæ, & aliis *ubi supra*, Rubricam Missalis, præscribentem tres Mappas, loqui de decencia, non de necessitate: & ita Doctores asserentes, sufficere duas mappas, loquutos fuisse quoad necessitatem, non verò quoad congruitatem; vt loquuti sunt requirentes tres Mappas.

5. Non desinam tamen hæc adnotare licet, vt probatum est, pro ornatu Altaris requiruntur tres Mappæ, & hæc benedictæ; tamen Auerfam de *Sacram. Euchar. quæst. 11. sect. 13.* Leandrum de *Sacram. tom. 2. tract. 8. disput. 7. q. 11.* & à fortiori Layman, Siles Trulleneh, Bassæum, Caltrum Palatum, Azoriam, *ubi supra*, docere saltem ex causa necessitatis adhiberi posse Mappas non benedictas, sed communitate Laicorum, quæ etiam postea ad suos vsus eis reddi possunt. Et ideo Garcias in *Summa Theol. mor. tract. 3. difficult. 8. dub. 3. punct. 1. n. 12.* sic ait: [Adhibere que si vno non tuuierit manteles, potria despus poner vnã toalla limpia en lugar dellos, y despus la podria aplicar à otros vsos, aunque fuessen profanos, como antes estaua applicada. Fagundez dize, que puede el Sacerdote poner el lienzo, que tiene para limpiarle el sudor, si es limpio; y despus puede usar del, como antes en opinion prouable.] Item Tannerus *tom. 4. disp. 5. quæst. 10. dub. 3. n. 48.* Vviggers in *part. 9. §. 3. dub. 15. n. 74.* Fagundez *Præcept. 1. cap. 22. n. 13.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 28. §. 8.* & alij docent eum in causa necessitatis posse vnam tantum Mappam præter Corporale in Sacrificio Missæ adhiberi. Sed difficultatis est in supradictis Casibus gradum necessitatis assignare, Tamburinus *opusc. de Sacrif. Missæ, cap. 3. §. 2. n. 4.* & *cap. 5. §. 2. n. 1.* me citato, asserit, quod gradum necessitatis non est hæc valde strictè accipiendum. Quare necessitas audiendi, & celebrandi Sacram. de Festiuo, feruor deuotionis, & tentato voluntate restorationem eo remedio superandi, imò & Sacerdoti non diuini opportunitas elemosynæ, satis impetque in prædicta paruitate, etiam à veniali celebrantem excusabit. Ita Tamburinus; cui adde etiam me citatis Marchinum, de *Sacram. Ordin. tract. 3. cap. 14. n. 2.*

6. Et tandem pro corone huius Resolutionis, si Aliquis curiosus inquirat: An extrâ casum necessitatis sit peccatum mortale celebrare cum vna tantum Mappa & Corporalibus; Leandrus de *Sacram. tom. 2. tract. 8. disput. 7. quæst. 15.* respondet, tantum esse veniale; mortale verò sine vlla Tobalea, cum solis Corporalibus; Quia celebrare primo modo, leuis; secundo verò mortale esset irreuerentia. Ita ille; cui adde Moura in *Moula Casuum Conscientie, part. 3. cap. 5. §. 11. numero 11.* sic asserentem: Quale peccatum est hoc? Respond. sine Tobalea, & Corporalibus esset mortale; cum Tobalea, & Corporalibus sine secundo linteo, esset veniale. Hæc Moura, qui citat Rodriguez, Toletum, & alios.

RESOL. CLXXIII

An Sacerdos possit celebrare in Patena, & Calice non dum consecratis, & cum vestibus non benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis Missam antea celebrasset?

Et asseritur Ecclesiam pollutam non egere noua reconciliatione, si in ea bona fide ab aliquo Sacerdote celebratum est. Ex part. 2. tract. 14. Ref. 69.

§. 1. R Espondet negatiue Fagundez *tract. 1. lib. 3. cap. 22. num. 15.* & ita asserit respondisse multos Patres Societatis Iesu.

Sup. hoc lege supra ex Ref. 140. doctrinam §. Adde. in principio, & Ref. 164. & 166. & quauis cursissime vide ramentum in 10. 6. tr. 1. doctrinam per totum Ref. 27. & signatur §. Item.

Sup. hoc signanter in Ref. 1. not. præterita, & in eodem §. & cum eodẽ Marchino tantum hic citato.

Sup. his verbis supra in Ref. 84. §. 1. prope finẽ, & in Ref. 140. §. Adde. prope finẽ, & in tom. 6. tr. 1. Ref. 18. §. Et itadem ad mediũ, & §. Et citca. in principio, sed lege eam per totam, signanter alias not. Prædictolum §. 8.

INTRO
Tom. 1
E III